Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1013

Quelle:
Copyright:

335. f. Alter in Exurgens Maria. *Lectio quam audiuimus ſancti euangelij* &c. ut *col.* 101.

VIII. *fol.* 164. p. 2. *Omelia origenis.* In Evangelium: *Cum eſſet deſponſata mater ihesu* &c. *Matth.* c. 1. Initium: *Que fuit neceſſitas ut deſponſata eſſet* &c. Incerti Autoris eſt, proptereaque in Edit. *Maur.* omiſſa. Vide, ſi lubet, *Origeniana Huetii* in *Adpend.* L. III. n. 5.

IX. *fol.* 166. *Incipit Omelia Beati Bernhardi ſuper iſtud iohannis: Stabat iuxta crucem* &c. Initium: *Sicut chriſtiane religionis defectus ex ariditate cauſatur cordis frigida. Sic nimirum ex inflammata affectione* &c. Non reperi in Operibus *Bernhardi*, neque ejus aetatis cenſeo Meditationem hanc potius, quam Homiliam, quae ſingula Textus ſacri membra expendit usque ad illud: *Et ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua*, et *Mariae* Epiſtolam ad *Ignatium* citat.

X. *fol.* 176. *Incipit liber de vita chriſti beati thome de aquino.* In Edit. *Opp. Romae* 1570. T. XVII. P. 2. inter Opuſcula f. 64. inſcribitur *de Humanitate J. C. D. N.* et incipit: *Chriſtus ihesus venit in hunc mundum* &c.

XI. *fol.* 208. p. 2. *Albertus ſuper Magnificat.* Expoſuit *Albertus M.* Canticum iſtud in ſuo ſuper *Lucam Commentario* T. X. Opp. *Lugd.* 1651. f. Sed utraque Expoſitio in diverſum abit. Initium noſtrae eſt: *Magnificat anima mea dominum. Magnificat uoce, magnificat opere, magnificat affectu* &c. Itaque ad alium *Albertum*, qui non deſunt, referendam putem.

XII. *fol.* 210. p. 2. *Incipit libellus de recommendatione caritatis.* Initium: *Seruo chriſti petro hugo, guſtare et uidere quam ſuauis eſt dominus. Cogitanti mihi frater kariſſime* &c. In Operibus *Hugonis Victorini* edit. *Rothom.* 1648. T. II. p. 233. f. inſcribitur: *In Laudem Charitatis.*

XIII. *fol.* 212. p. 2. *Hic ponitur ſymbolum apoſtolorum cum prophetijs correſpondentibus.* Nota eſt opinio olim pervagata, ſingulos *Symboli* Articulos a ſingulis Apoſtolis concinnatos fuiſſe. Hic igitur ad oſtendendam utriusque, ut putem, Teſtamenti ἁρμονιαν ſingulis praefixus eſt locus Propheticus παραλληλος.

XIV. *fol.* 213. *Incipit libellus Sancti Auguſtini ypponenſ. Pontificis de conflictu viciorum atque virtutum.* Et ad calcem: *Explicit liber beati gregorij pape de conflictu* &c. Sed utraque haec Rubrica raſa et refecta eſt. Tam parum ſibi conſtabant Librarii de Autore hujus Opuſculi, qui *Ambroſius Autpertus* eſt, ut jam *Vol.* I. non ſemel dixi. Initium: *Clamat vox apoſtolica* &c.

XV. *fol.* 216. p. 2. *Incipit regula beati auguſtini de vita monaſtica.* Ita: *Ante omnia fratres kariſſimi diligatur deus* &c. ut edit. *Maur.* T. I. *col.* 789.

CCCCXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 207. f. rubricis enotatus, U. 266